


Jacob Fabricius


## **Jacobi Fabrici[i] Philosophi & Medici Uroscopia, seu De Urinis Tractatus, ad Senatum Rostochinum**

Rostochi[i]: Reusneriano, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746579659>

Druck Freier  Zugang





Ma - 3968.






JACOBI FABRICI  
*Philosophi & Medici*

Uroscopia,  
*seu*  
DE URINIS  
TRACTATUS,

*ad*  
SENATUM ROSTOCHINUM:

*P. Syr.*

Grave præjudicium est, quod  
judicium non habet.



ROSTOCHI  
PRELO REUSNERIANO,  

---

CID. MDC. V.

MAGNIFICIS, CONSULTISS<sup>is</sup>  
PRUDENTISS<sup>is</sup>.

NOBILISS<sup>a</sup>. REIPUBLI-  
CÆ, URBIS ROSTOCHII,  
PATRIÆ MEÆ,  
EPHORIS AMPLISS<sup>is</sup>.

*Dnm.*

CONSULIBUS,  
SENATUIQ. UNIVERSO,  
UROSCOPIAM,  
PERICULI MEDICI PRI-  
MITIAS, HONORIS ET  
AMORIS PIGNUS,

*L. M. Q.*

CHARTEA HAC PATEL-  
LA, FAUSTA QUÆQ. IUX-  
TIM EXOPTANS, OFFERO  
CONSEUROQUE.

*Jacobus Fabricius D.*



MAGNIFICI  
CONSULTISSIMI  
ET PRUDENTISSI-

MI VIRI,

**Ο**έλω τύχης <sup>gita</sup>σάλαγγμον, ἢ φεγεῖων <sup>sol.</sup>πίθον, *Gra-*  
cus est senarius, & passim in multorum  
haret linguis, nec dubito, hinc enatum,  
quod morborum cura, tum à doctis quibus-  
dam, tum communiter à vulgo, Fortune  
nuncupentur, sicque supina quandoque im-  
peritorum ac audaculorum stultitia, prospere  
defraudata successu, prater meritum ve-  
letur, tegaturve. Ipse verò cum sacrâ paginâ,  
Hippocrate, & Aristotele, Fortunam, rerum  
humanarum, ab Ethnicis pictam & fictam  
dominam, ex arte nostrâ planè & plenè eli-  
minans, nihilque esse, nihil posse, emissâ voce  
proclamans, à solo Deitatis limpido & perem-  
nifluo fonte, voluntatem nostram, & opera  
omnia ac singula, modò sint bona, duci regi-  
que, & divinam benedictionem, non medi-  
camentis quibusvis temerè datis, sed arti

A 2

con-



conjunctis, vivificam adfundere auram censeo. Hinc soli artifices, Deum ritè invocantes, in operibus audiunt felices, & omnes felices ejusmodi artifices. Quorsum Hippocr. lib. de arte, & lib. de locis in homine scribens, qui artis-Medica cognitionem habet, minimum expectat fortunam, sed & citra eam, & cum eâ rectè faciet, ac Herophilus, & post illum Gal. lib. 6. de comp. med. secundum loca: Pharmaca nihil sunt per se ipsa: quia DEI manus sunt, & nil proficiunt, nisi rectè utentem nacta sint, respiciebant. Qui verò sine arte, inanibus titulis, ac stolidæ plebecula adplausu evectus, in sacratissimam Medicinam debacchatur, & felicitatem, ac divinam benedictionem sibi imaginatur, hunc Deus ipse, conscientia ipsa, adeoque tota tandem deseret natura.

Proindè quum hinc, firmo immotoq, fundamento, Fortuna operarum ac operum Medicorum nullatenus domina arguatur, & artis nostræ ostia, rudibus occlusa, doctis saltem pateant, quis tam perverse sapiens, tamque rerum imperitus, qui, quum videat necessitatem sibi planè imponi ea comparandi  
præsi-

praesidia, quæ sine nec potuere seri, neque surgere meses doctrinae Medica, dubitat potiore in incunabula discipline partem in Philosophicis consumere, quibus quasi solum quoddam sternatur sustinendo aedificio doctrinae ejus artis, quam factitare in animum induxit, ut bene firmum sit & validum, ne sophismatum veritati illudentium velut imbribus perpluat. Vera namque studij medici incunabula, in contemplatione naturae corporis humani constituuntur, clamante Hipp.  $\delta\epsilon\chi\eta\ \tau\epsilon\ \epsilon\upsilon\ \iota\pi\tau\epsilon\iota\kappa\eta\ \lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma\ \phi\upsilon\sigma\iota\varsigma\ \tau\epsilon\ \sigma\acute{\omega}\mu\alpha\tau\omicron\varsigma$ , & Gal. testante, ne simplicissimi quidem ulceris curandi consilium nobis suppetere, nisi ad prima usque corporum elementa, calidum, frigidum, humidum, siccum, ratiocinando excursus fuerit.

Quibus cognitis, & artis habitu adposito, optimus ex Hippocratis mente morborum fiet curator, cui tamquam supra hominem quid sapienti, sese agri magnâ fiduciâ committant, si  $\tau\eta\ \pi\epsilon\pi\omega\sigma\tau\iota\lambda\omega$  probè didicit, & praesagiendi facultate reliquos antecellit: si  $\tau\grave{\alpha}\ \pi\alpha\theta\epsilon\omicron\upsilon\tau\epsilon$  agrotis enumerat:  $\tau\grave{\alpha}\ \mu\acute{\epsilon}\mu\omicron\upsilon\tau\epsilon$   $\iota\sigma\tau\epsilon\delta$  praedicat:  $\tau\grave{\alpha}\ \pi\epsilon\pi\omega\sigma\tau\iota\lambda\epsilon$  sermone recludit;

cludit; ac rerum abdita in luce ponit: τὸ  
 ἡγεμονικόν, seu qua commemorando omi-  
 sit ager, supplet. Bonus autem prognosti-  
 cus evadet nemo, qui non idem antè bonus  
 sit Διγνωστὴς, hoc est, morbum, morbi  
 naturam, causas, progressus, mores, quan-  
 tumque supra laborantis vires suâ se magni-  
 tudine effert, plene perspectum & cognitum  
 habeat, adeoque totam συμπεριληπτικὴν, παθολογικὴν  
 αἰτιολογικὴν scientiâ comprehendat.  
 Quia vero, in quo, ut subjecto, haeret morbus,  
 corpus humanum censetur, non quale in spe-  
 cie, sed quale Petri vel Paulli, ac suum  
 ejusque: per qua autem, velut instrumen-  
 ta, operatur medicus, cibi sunt & pharma-  
 ca: certè Physiologice & totam ἰατρικὴν simi-  
 liter didicerit oportet, qua singula ejusmodi  
 dantur, ut studij intentionem, quantum vix  
 ulla aliarum artium, requirant singularem,  
 medium universa.

Rectè proinde Hippocrates in vestibulo  
 aphorismorum, quos Melanchthon, velut rel-  
 liquias, & ἑποικισμῶν doctrine sanctorum  
 patrum, continuatâ tot seculorum serie, quasi  
 per manus tradita posteris, à quibus ad vici-  
 nae

nas genteis dimanarint, non inscite ratiocinatur, ὁ βίος βεβήχως, ἢ ὅτι τὴν πᾶσιν, exclaimat, quippe hæc ob difficultatem & rerum discendarum molem ardua est, & laboriosè cognoscitur, ille cum Drῶ Jacobo cap. 4. quis censetur, ἢ τοῦς ὀλίγοις φανερωθῆναι, ἐπὶ τῷ ἰατρικῷ, quod non invenuste ludio ille Lucianus in Charonte expressit, quum hominis vitam bullis similem dicit, quæ aut simulatque natæ sunt evanescent, aut paullum durant. Tam fragile vas, & ocysimæ flos pulcritudinis, fenumq; homo est, natus tamquam arista secari.

Ut ergo in Medicâ arte scienda sciamus, & quæ scimus ac signamus, ad divini nominis laudem, proximi salutem, multiplicemq; utilitatem, nostrique confirmationem, cum progressu felici depromere possimus, trinuno invocato Numine, ad aureos illos Hippoc. & Gal. omnis liberalis perfectæque doctrine fonteis, ingenij aciem convertamus, & maturè relicti, quos interdum non adtigisse satius erat, rivulis ac compendiis, quæ ἡγεγυρωμένοι & duces dumtaxat ad castella & disciplinarum arceis esse debent, vivis exinde laticeis, qui nervi & artus sunt scientia uni-



DEDICATORIA.

9

maca, non ubique scopum attingant Medici. Veluti enim contra mures aut formicas bel-  
lanti, Pigmai sufficiunt vires: at cum Leo-  
ne, aut atolico apro pugnans, Hæctoris manus  
& Gigantum robur optat: ita virtute  
paullum prostratâ, ex vegetabilibus desum-  
ta, & vulgariter cocta; eadem verò oppressâ  
& languente plurimû, ex amussim tam ex ve-  
getabilibus quàm mineralib. elaborata, quan-  
titate tamen tantâ, ut curaturi homines, non  
equos suffocaturi videamur, propinètur phar-  
maca. Et hoc quidem nostrâ atate adprimè ne-  
cessarium, vita humana secula, ut ex sacris hi-  
storis discimus, à primâ mundi structurâ  
multifariam in hunc usq; diem variata, ma-  
joribusq; morbis quam antiadhac magis magisq;  
obnoxia suadent. Sic namq; ante κατακλυσµὸν  
generalem, humane vita tempus ultra non-  
gentos annos extensum, post eum, primitus  
vix centum & octoginta, & postmodum, te-  
stante Psalm 89. saltem octoginta fuit an-  
norum, quod nunc continuo atatum succes-  
su iteratò mutatum, in quinquaginta aut  
præterpropter annos, quibus quis validus ac  
fortis durat, redigitur. Nec mirum, quod

A 5

nostri

nostri corporis nativum calidum in primigenio humido brevius flammet, micetque, quum omnis species, quò longius à primo principio digreditur, quàm virtutem primariæ complexionis, quam prima obtinebant individua, magis magisque debilitetur. Quia verò tam in arboribus, herbis & plantis, earumque fructibus, quàm bestiis, quibus magnam partem homo vescitur, id indubiè verum creditur, ac natura, veluti ad species conservandas generationem: ita ad Individui sustentationem nutritum ordinavit, quantum alimentum virtute deficit, tantò minus ad absumti humidi reparationem sufficere manifestatur.

Audit autem MAGNIFICI, CONSULTISS. ET PRUDENTISS. viri, Medicinæ pars non infima & æconomia, quæ ut infrequenti usu, circa urinarum trutinam, ad morbos, morborumque causas investigandas occupatur: ita plurimis scatet erroribus, quorum radicibus extirpandis ne Hercules suppeteret. Ita enim & hinc, & alibi, agyræ ac circulatores, hinc inde vitreis septi ampullis, ad triobolare aucupium, quid  
quid

quid buccam incurrit, aureis nonnumquam montibus, & pollicitationibus superbis grave, ut adulterinis suis verbis fugaceis civium trahant numos, conferruminant, & ignoratis veris causis, fluctuantes, atq; huc illucve impulsæ, temerarium judicium, vanum ac perniciosum, domi sue exercent, sepeq; toti Reipub. τὸ πῆμα & calamitatem inducunt. Cujus perfrictæ frontis quendam in Academiâ Genensi novi, & mecum, qui hic vivunt, norunt alij, lintearium, qui non saltem ἐν τῷ ἔργῳ morbos, quibus ante 10. & 20. annos ager operabatur, sed & præsentem ex certo vase, vitro aut fictili contractum, oculorum suis linceis radiis cognosci impudenter mentiebatur. Utinam autem, velut hic, & alij, qui partim vestram urbem inhabitant, & πολλοῦ βλάβητον illud suis fraudibus & mendacijs, Mundus vult decipi, adsiduo exercent, vel ignominiosè eliminarentur, vel tandem divinam hanc scientiam suis futilissimis nugis conspurcare desinerent, quum in nullo, teste Plinio, periculosius mendacium sit, quàm in eo, qui se falsò medicum profiteatur.

Pro-



Proinde ut hujus moneta hominum  
 ( qui sanè literis imbuti nullis, & factitan-  
 da Medicina prorsus rudes, verè digni, ut  
 non saltim *κατ'όφρασι*, quo avaros & indo-  
 ctos medicos exprimebat Aristophanes, sed  
 & factitio nomine *ἔγοπότης* dicantur ) cal-  
 lidas imposturas detegerem, & genuinum  
 ex urinis judicandi modum aperirem, hinc  
 inde, ne in vestrà urbe & Academiâ, patriâ  
 meâ dulcissimâ, vitam inutiliter vive-  
 rem, per amplissima Hippocratis ac Gale-  
 ni viridaria transiens, hunc DE VRI-  
 NA TRACTATVM, in ordinem, quem  
 videtis, digessi, non ut auram aucuparer  
 popularem, sed ut mihi, studiosæque pro meo  
 talentulo inservirem publi. Ratus namque fui,  
 cum Flavio Albinio, hunc legendi fructum esse,  
 ut amulemur, quæ in aliis probamus, & quæ  
 in eorundem dictis miramur, oportuna deri-  
 vatione in usum nostrum convertamus.

Quod autem quandoque à tritâ Philoso-  
 phantium Medicorum viâ paululum digres-  
 sus, novam, non quidem ἀλαλήτως, quam sine  
 ratione nil mihi sit in mente, nedum in stilo  
 aut chartâ, produxi opinionem, libertati  
 confi-

confisus feci Philosophica, quam qui tollunt, ut  
 Pythagoras inquit, absynthij amaritudinem  
 tollere videntur. Veluti verò me ubique  
 τῶν δεξιόσφρων, καὶ μὴ τῶν κακονοούντων sincero iudicio  
 permitto, ita aput rudes, culpam haut de-  
 precandam censeo.

Ceterum magnifici, consultiss. prudentiss.  
 viri, hunc fatum, quem diu mente gestavi  
 meâ, & duodecim saltem dierum curriculo,  
 in hanc auram placidissimè, publicæ utilitatis  
 studio, sum enixus, vobis proprietarium,  
 reliquis usufructuarium, datum & oblatum,  
 veteris nempe illius memor, τὸς μὲν νεὸς τοῖς  
 θεοῖς προσήκει κατεργᾶν, τὸς δὲ ἀνδρας ἐπιχοίμους τῆ  
 τῶν βιβλίων ἀνάθεσθαι πικρᾷ, sub vestro nomine  
 cumprimis adparere volui; idque ut vobis,  
 qui patria mea, cui tantum à maioribus no-  
 stris adtributum, ut & Platonis sententiâ  
 sanctissimum Parentis nomen, ipsis genitori-  
 bus commune habeat, obtineat ve, præstis,  
 consilioque praitis, adeò ut admirationem in-  
 credibilem, non in vestratium dumtaxat, sed  
 & exterorum plurium animis excitaveritis,  
 monstrarem, me Veterni castris nullatenus  
 interesse, sed omne tempus, adfiduâ bona-  
 rum

γυρι artium tractatione, in ocio hoc meo,  
dum vestram urbem incolo, consumere, quam  
non inconcinne sub Corinthi nomine Pinda-  
rus olymp. hymno 13. expressisse videtur:

ἐν τῶν Εὐνομία ναίει, κασίγνη-  
τὴν τε, βαδρὸν πλίων,  
ἀσφαλὴς δίκαι, καὶ ἰμὸ-  
τροπὸ εἰρήνη, παμίας  
ἀνδράσι πλέεις, χεῖστα  
παῖδες Ἀβέλις Θέμις.

Quod si curatius commemorare vellem,  
numerare tentarem,

Quot nostra hiberni veniant ad  
littora fluctus.

Quemadmodum autem quomdam Athe-  
niensium lege cautum erat, ut primitus exhi-  
bita nulla exploderetur fabula, quod primo  
conatui favendum judicarent: ita & hoc  
exemplo audentior redditus, nullus dubito,  
quin & vos huic meo tenello & recens edito  
partui medico faventer adspiretis, eumque  
ab invidia minis & Ligurinis momis ve-  
stro patrocinio, quasi aquilinis exsuviis in-  
dutum, tutum reddatis. Atqui hac spe ad ea,  
que

DEDICATORIA.

15

qua in arte Medicâ præstantiora, excitabor,  
& vicissim nihil antiquius habebo, quàm ut  
vestro nomini, laudi & honori, omni surâ  
industriâque, quod possum, incumbam sem-  
per. Deus opt. max. vos & vestrate terri-  
torium ita fortunet, ut ad summam beatita-  
tem nihil desideretur. B. valete. Ex adibus  
nostris, a. d. KL. Sextil. anni CIO. IO C. V.

Jacobus Fabricius D.

CLmo viro;

DN. JACOBO FABRICIO  
MEDIC. DOCT.

**B**ellus es & Sophus, & bell<sup>9</sup> JACOBE Poeta,  
Bellus Apollineâ succus & arte clues;  
O solido & solo trinas in corpore gemmas,  
Dicam unus Genios omniû ad instar habes.  
Sic populo celebrabere, sæpè vocabere gnarus  
Differitatis opl, differitatis apl.

Georg. Pfizmarus P. L.

AMI-

## AMICO LECTORI

Αφροειεν.

**S**cio insurrecturos quosdam, qui actum me agere dicent, dum quæ ab Hippoc. Galeno ac aliis seminata, Uroscopiâ meâ resermino. Quib. respondeo, me quæ res quidem illis debere plurimum, quæ ordinē, quæ verba parum. Quum enim ab Hippoc. & Galeno aded Ars exculta medica, ut pars, quam ille neglexerit, vel hic, summo perē non excoluerit, detur nulla, cum poëtâ, nihil jam dici amplius posse, quod non dictum prius reor; ut proindē veluti inventor ille, hic interpretum instar mille meritissimē habeatur. Quemadmodum verd Medicinæ principum, Aëtij, Oribasij, Æginetæ, Tralliani, Actuarij, ut & Avicennæ ad verbum ferē ex Gal. & aliis exscripta, inque usum nostrum traducta opera laudantur; ita nec meum, non quidem exindē verbotenus haustum, sed & commodiore formâ, & promptiori methodo dispositum, UR Inarum in unum manipulum digestas habentem differentias, depreciatum culpatumve iri tractatum confido, sperans à bonis, si Momorum fortean ore obruar, patrociniū. Quod ubi obrinvero, majora perficendi calcas indeptus, & reliqui, in arte Medicâ & Chemicâ, pluteo meo adhuc inclusi, publicē propediē prodibunt fœtus. Benē & feliciter optime mi Lector ave, mihi-  
que save.

JACO-

JACOBI FABRICI  
Philosophi & Medici

# UROSCOPIA.

*Caput primum.*

## QUID URINA.



Uanta sit signorum necessitas, in Morborum, indagandâ indole, locisq; cognoscendis adfectis, quum illis, veluti rerum indicijs, mens rectâ ratione trahatur, & in recondita penetrans, quæcunque densâ caligine involvuntur, sic referat, ut oculis ea cernamus & intellegamus, impræsentiarum plurimis ut evincam, & stabiliam rationibus, inprimis quòd hoc luculenter à Gal. comm. 2. lib. 1. prorrheticor. tex. 3. lib. 1. de Crisib. c. 3. & lib. 1. de loc. adf. c. 2.

B

&

& 3. ac passim alijs, tractatum ac pertractatum videam, operis reor haut necessarij. Quia verò hujus *συμπεριληψίς* non contemnenda, circa Urinarum, trutinam, ad functionum humanarum robur examinandum, occupata pars, cujus ope & intellectu, certis conjecturis, in adfecti loci suspicionem, & abstrusæ morborum, in intimo recessu corporis conditorum, sensusque nostros latentium, causæ cognitionem deducitur Medicus, Crisiumque dignotionem ac prædictionem, exinde eorum, quæ in vasis stabulantur, depromens coctionem aut cruditatem, examusim venatur & percipit, & est & censetur, non præter rem me facturum arbitror, si tractatum hæc de re & brevem & perspicuum editurus, Atticâ, quod ajunt, lege, *αὐτὸ πρῶτον καὶ παθῶν*, quod felix faustumque sit, rem ipsam adgrediar, & antequam Urinam definiam, undè suam originationem trahat, quàm possum brevibus præmittam, ut & sic

no-

nominis denominatione cognitâ,  
quid sit, penitus rimari nullus inter-  
cludar. Deducitur autem Urina, vel  
ἐκ τῆς οὔρου, quòd membrorum humano-  
rum indolē ostendat, vel quòd sit οὔ-  
ρος τῶν κατὰ τοὺς φλεβὰς χυμῶν, vel quòd per  
caudam, Græcis οὔρον, exstillet. Pariter  
& Lotium à lavando nominatur.

Induit verò Serum hoc confide-  
ratione variâ, adpellationes varias,  
& modò ἰχως, modò Urina, modò Su-  
dor, modò aliud, quum omnium ho-  
rum, teste Galen. 10. de simpl. vi,  
cap. de Sudore, eadem, solis dumtaxat  
qualitatibus & excretionis loco dif-  
ferens, substantia detur, dicitur; &  
ἰχως quidem, mitior mador, cum san-  
guine in venis stabulatur, inque Uri-  
nam converti natus est. Urina humor  
est acrior (unde & ab urendo, ex  
falsuginosâ mordacitate, nomen hau-  
fisse quidam autumant) qui ex venis,  
ubi suo in deducendo sanguine per-  
functus est officio, in renes & vesi-  
cam, multifariâ variegatus, delabi-

B 2 tur.



tur. Sudor autem, per patentis foraminulentæ cutis meatus, transmittitur; nec opus, ut ejus radix primitus in vapores abeat, quum non tam à virtutis debilitate, quàm naturalis caloris robore, 4. Aphor. 41. serum, quale venas juxta cum sanguine inhabitat, protenus ad superficiem corporis eliminetur.

Proinde & hinc Opinio statuentium Urinæ universim sumtæ materiã simplicem, potum nempe alteratum, & suis duntaxat accidentibus spoliatũ, licet plausibilib<sup>9</sup> innitatur fundamentis, quum sub Urinã, Sudore, Ichoreq; sæpissimè, quod potulentæ materiæ non sit, excretũ cernamus, labefactata corruet. Quod quasi è tribunali dictator maxumus Hippocrates 1. Epid. sect. 2 & lib. 6. ejusd. sect. 5. subcinctis & luculentis verbis innuit, & triplicem Urinæ materiam facit: madorem nempe ex poculentorum liquidorumquè usu & esu quotidie exsiliens: Serum quatuor per venas meantium humo-

humo-

humorum, & postremò Humores ipsos, ac indiscriminatim omneis, ut & corpora, quæ liquantur, ut carnes adepsque: unde & ἕρσι ἐλαιώδεα, urinæ pingues & oleosæ, liquefacto à febricitabificâ corpore, quas in Prognosticis σωτήξεως σημεῖα, & alibi non rarò idem indigetat, oriuntur: quam Urinæ speciem & ipse penitus introspiciens, quid portendat suo loco adnotabo.

Tandem rem ipsam adgressus URINAM definitio tenue & aquosum excrementum, ex poculentâ materiâ in chyli confectione, primò separatum, deinde in jecore ac venis elaboratum, sicque novis accidentibus nobile, renibus ac vesicæ transmissum, individuo intrinsecus & extrinsecus utile. Tenue dixi & aquosum excrementum, idque in differentiam tum alvi fæcum, tum atræ, tum flavæ bilis, quæ Igni potius quàm Aquæ æquiputatur. Primitus verò liquor hic ex potu in ventriculo esculentis permix-

to nascitur, & deindè flexuoso ad intestina prolapsu, per Mesenterij venas, juxta cum chyli potiori portione, in jecoris regionem trahitur, ubi sanguinis, ad patentis, angustissimosque meatus, nutritionis causa deferendi, fit vehiculum, quo deducto tandem in renes delabitur, & vesicam, excerniturque; non autem, ut Methodicæ sectæ autor Asclepiades, ab Heraclito, teste Arist. 13. Probl. 6. ita edoctus, olim docuit, solutus in halitus, per tunicarum poros, vesicam subit, ibique rursus coit atque concrevit, quod Gal. lib. 1. de natur. fac. c. 13. pluribus castigat, & vesicæ structura densior, ac situs depressior, quum proximiores vaporibus concretis conlegendis, dummodò in corpore sano tanta illorum quantitas, ut urina inde generaretur, suppeteret, essent loci, funditus evertit. Proindè quia Serum in ipsa chylicatione, protenus sese conspiciendum præbet, non quidem discretum, sed com-

mix-

mixtum, ab humoribus, qui in corpore à non esse ad esse progredientes, ex transmutatis cibis generantur, discriminatur, & non à non esse ad esse, sed à non esse secreto ad esse secretum transire perhibetur. Quo sensu fortean & Plato, in Timæo, ex phlegmate congelato, seu cibo in Chylum converso, oriri serum dixit: Non aliter autem, ac pro humorum in venis agitatione, ad sudoris secretionem, ut & illud probè sequestretur, calore opus est, qui quum sit multiplex, multiplicis quoque subibit motus, inque locis secernetur pluribus, quorum omnium, suo perfunctum officio, onus alioqui venis futurum ignavum, excrementum audit, & accidentia sibi impressa circumgestans nova, vel pravo lucet colore, vel inquinatur crassitudine, vel alienæ speciei corporibus permiscetur, &c. sicque post alimenti distributionem, tamquam *ἡ ἀπόρροη*, non quidem suo pte impetu, aut renum & vesicæ

adtractione, ut Galenus credit; nec  
 successione ad id, quod vacuatum  
 est, ut Erasistratus lib. 1. cap. 16. de  
 facult. natur. à Gal. refutatus statu-  
 it; sed venarum, ob molestiam, tum  
 à quantitate, tum à falsugine & Seri-  
 acrimoniâ inlatam, expellentium vi  
 in renes, & hinc per ureteres in vesi-  
 cam ablegatur. Interim nec nego,  
 non rarò urinam, quæ, liquefactis hu-  
 moribus aut corporibus, diebus Cri-  
 ticiis prodigaliter effunditur, viribus  
 exsolutis, spontè per patentissima  
 vasa, ad loca vacuationi maximè  
 consueta, citra ullam venarum ex-  
 pulsionem, detrudi.

Intus verò forisque homini dixi  
 utilem urinam, illud quidem, quum  
 ad parteis continuo motui obnoxias  
 humectandas, & alimentum crassius  
 per venas deducendum, sanguinem-  
 que defæcandum faciat: hoc autem,  
 quum iudicium Medici in curâ &  
 prognosi formet, vero ad primè con-  
 sonum statuendo. Quin & ex Urinâ  
 remedia

remedia quædam *Ἀπόρρησις ἔπιλύχουσι* pro  
 absterfione, excitatione & calefactio-  
 ne corporis humani, adeoq; contra  
 Pestem defumuntur plurima; de qui-  
 bus videatur Gal. 10. de simpl. med.  
 facult. cap. de urina, Diosc. lib. 2. cap.  
 91. Strabo lib. 3. Geop. Plin. lib. 28.  
 cap. 8. Theop. Parac. 1. parte Chei-  
 rurg. magnæ tract. 2. c. 5. Card. de su-  
 btil. lib. 17. Scaliger in illum exercit.  
 338. Mercur. cap. 9. de urinis, & lib.  
 3. var. lect. cap. 19. Catullus in Egna-  
 tium. Apulejus Apol. 1. Reufner. ad-  
 pend. Comment. in Willich. Atque  
 hæc de urinæ definitione dixisse sub-  
 ficiant, consequens est, ut, quò dex-  
 terius significata ejus rimemur, quo-  
 modo & quo vase conlegenda veni-  
 at, monstremus.



*Caput II.*

QUANDO. QUO VASE  
 CONLEGENDA. QUO-  
 modo judicanda.

B 5

Avi-

**A** Vicenna lib. 1. fen 2. doct. 3.  
 sum. 2. sermonis sui universalis,  
 de urinâ, exorsus caput primum, in-  
 quit: urina contemplationi Medici  
 subjicienda, à somno prima excipi-  
 enda est, nec permanere longo tem-  
 pore, nec ex nocte reservari debet.  
 Doctissimâ brevitate Cordubæ prin-  
 ceptis hoc in loco conlegendæ urinæ,  
 & ad Medicum deferendæ tempus  
 edocet, idque matutinum. Per so-  
 mnum namq; præcedentem noctur-  
 num, quum maxuma fiat digestio &  
 sequestratio, plus humoralis super-  
 fluitatis, urinæ, horis auroræ, quàm  
 diei, permistum inhæret, quæ longio-  
 rem & majorem alterationem, si,  
 donec secundum urgeat, calore jam  
 circa alia occupato, retineatur, reci-  
 pit, & rectum pervertit judicium,  
 ut perperam proindè faciant, qui ci-  
 bi expletâ concoctione, urinam, quæ  
 ex ventriculo egressa, antequam per  
 penem excernatur, varias subit mu-  
 tationes, eamquè non primam, sed  
 secun-

secundam saltim suadent excipien-  
dam. Undè nec mirum, si circumstan-  
tiarū nullarum habitâ ratione, quid-  
quid buccam incurrit, evomendo,  
prognostica incerta conferruminent,  
& veris causis ignoratis, inter fuga-  
ceis Dædali statuas fluctuantes, paul-  
lo momento huc illucve impellantur,  
& nubeculam, ceu ajunt, pro Juno-  
ne exosculentur.

Urinæ verò receptaculum sit vi-  
trum perlucidum & nitidum, tantâ  
capacitate, ut urinam, quæ quâlibet  
vice mingitur, totam contineat, fun-  
do modicè rotundo, sine prominen-  
tiâ & angulis, figurâ strictâ & longâ,  
ut & multæ & paucæ, quam regio-  
nem incolat, Urinæ sedimentum con-  
spiciatur, collo sit angustiori, ut faci-  
lius obturetur, & Solis, frigoris, flatu-  
umve injuriis minus obnoxium red-  
datur. Juxta has, quas dixi, condi-  
tiones præparata matula, eâque con-  
lecta urina tota Medico inspiciun-  
da detur, ne, cum facilè Urinæ effusâ  
por-



portione, & contentorum pars, ex quibus vasorum, inq; his stagnantium humorum coctionem potissimum spectamus, effundi possit, destruat judicium, & fama ejus polluat, lædaturve.

Quandocunque igitur, quisquis es, judicium de urinâ formare conaris, idque citra tuæ existimationis obscurationem, age, ægri internuntius Urinam debito tempore vase reconditam, & probè obturatam, horâ convenienti introspectandam tibi offerat, ut aliquandiu quietâ leniter resideat, & *ἡ ἀφαιρέσις* destinatum locum, quò Lotij calore adgenito, qui crassiores illius parteis suspendere ac divellere, ut sine sediminibus & contentis adpareat, adsolet, pervenire intercludebantur, subeant: Vas sit remotum ab aëre nimis frigido & ventoso: Hic enim permiscens & agitans urinas spumam inducit, contentaque commovet: ille eas in liquore obscurat, & in substantiâ  
 incras-

incrasfat. Postremò nullatenus, si  
 eam corumpi accidat, igni aut ollæ  
 aquâ calidâ refertæ, vel Solis radiis,  
 ut turbatarum partium secretio fiat,  
 admoveatur, quum Ignis calor, in-  
 nato calori Urinæ proportionari  
 non valeat, & aliàs per Solem, reso-  
 lutis partibus tenuioribus, de statu  
 suo naturali deturbetur, nisi an sic  
 miçta, an post turbata, & quidem vel  
 suâ sponte, vel ab incidente externo  
 probè trutinaveris. Quod ut certus  
 scias, ex Rhafis 23, Continent. cap.  
 de Urinis suasu, hæc tibi proposita a-  
 nimo circumfer semper *κρῖσις*. Quo-  
 rum *primum*. Urina quæ mingitur  
 clara, & post turbatur, non est dia-  
 phana, sed alba, & pinguedinis ad-  
 instar congelata, & si igne dissolva-  
 tur, clara redditur, inque superficie  
 bullæ conspiciuntur, quum contrà  
 Urina turbata per penem ejaculata,  
 licet nonnunquam transparens sit,  
 nullâ arte clarescat. *Secundum*. Uri-  
 na post mictionem turbata, Urinalis  
 lateri-

lateribus adhærens, illa non obscuris maculis inquinat; quod Urinæ turbatæ, ex vesicâ sic exeunti, non cōpetit.

Porro & anilia scorta, nonnumquam Medicis, cum primis junioribus, insitâ quâdam & propriâ malignitate exstimulata, vaccæ aut alterius subjugalis, quæ crasitie tamen humanam superat, urinam judicandam offerunt. Quarum pervicacem nequitiam, aperto vasi, quasi Lotio quidpiam supernatet visurus, oculos juxta cum naribus admovens, vapore protenus & odore humanæ ingenito, vel secus, sese tibi obferente, cognosces: vel hoc foedū sanè & sordidum si displicet, matulæ operculo parùm semoto, unâ vitri summitatem, alterâ fundum manu adpræhende, postea illam naribus subdens, ac si eas modestè fricare intenderes, vel urinæ fætidum vaporem, vel dolum depræhendes; quâ cautione potissimum in Urinâ, sedimento adparente nullo, & suspectâ utaris, sicque his

tru-

trutinatis omnibus locum elige, nec obscurum nimis, nec lucidum valdè, aut Solari face illustratum, & matulam vel nigricantis panni, aut alterius opaci corporis, vel manus quoq; objectu ita dispone, ut visus acies firmius terminetur, luminisq; splendor desuper potius, quàm transversim, seu noctu, seu interdiu spectetur, incidat, contentorumq; accidentia rectius cognoscantur. Deniq; certa distantia requiritur, quum quantò propinquior, eò spissior, & crassior, quò remotior, tantò tenuior & clarior adparere soleat. Quibus conditionibus præmunitus, differentias Urinarum, proximis Capp. explanandas, earumq; portenta, cum laude & admiratione dijudicabis.

Caput III.

QUALE EXCREMENTUM. QUORUM ADFE-

ctuum indicina. Dubiorum circa utrumque enodatio.

Urinam,

**U**Rinam, quam alij tertiæ, quidam secundæ, ipse primæ concoctionis excrementum, auctoritate Gal. lib. de tot. morb. temp. c. 3. & 4. de usu part. c. 5. ac subdendis rationibus concludo, quum *πρωτον* sit *το εχημα της τροφης*, & chylum, recens de cibus natum, ex Ventriculo, per Mesaraicas, angustosq; venarum anfractus, aquoso suo madore, ad Epar deducat, Pulsu frequentius illustriusve judicare, ac de morbis fidem facere, quòd 4. de san. tuend. ex unâ sibi sanitatem polliceri Galenus audeat, eique soli valetudinis auguria Cornelius Celsus, exq; illo Plinius nuncupent, & aliàs Hippocrates raro Pulsus, sæpissimè Urinarum mentionem faciat, ipseque Galenus *των σφυμων* laboriosam & subtilem difficultatem, dùm, ut solam systolen exquisitè nosceret, plurimos annos se laborasse scribit, fateatur, ut non immeritò Plin. lib. 10. c. 37. Herophilum, hujus incompræhensibilis Pul-

Pul-

Pulsuum artis autorem, à suis discipulis desertum prodat, impræsentiarum adseverare, & rationibus fulcire nullus dubito. Omnia siquidem excrementa partium & succorum, quorum reliquiæ habentur, & abluta, si quæ insunt, sordium simitus inquinamenta conradunt, atque secum trahunt, dispositiones quasi digito monstrant. Ita alvinæ fæces Intestinorum, inq; iis stagnantium humorum adfectionem: excretio thoracis, pulmonum, hisque infixorum succorum, ut mucus cerebri, qualitates ordinè referunt, sibi què planè insculptas denuntiant. Non aliter Urina ex Ventriculo primò in Epar delabsa, ibidemque cum humoribus alterata, iisque permixta & venoso generi communicata, nec non suo, quod exsequi nata est, peracto officio, ad renes & Vesicam deturbata, horum meatuum omnium signū demonstrativum nobile, & ad prognosticandum cum primis adpositum celebra-

C

lebra-

34 JACOBI FABRICI  
lebratur, sibi que inscripta τῆς πέψεως,  
ἀπεψίας, σωτηρίας, τὰ δὲ ἑνεσημάτων γνωρίσμα-  
τα δηλωτικά, καὶ κρείσιμα, quin & τὰ παθηγω-  
μονικά, dum σιωπεύσῃ ἢ ὀλέθρῳ, circum-  
fert σημεῖα & præfagia. Quis verò hu-  
mores, quorum stabula venæ, per  
universum corpus sparsæ, interiores  
causas, sanitatis quidem, si naturæ  
legibus teneantur; morborum au-  
tem, de naturæ bonitate retroceden-  
teis, esse & haberi, leviter dumtaxat  
Medicinâ imbutus, negabit? Ho-  
rum autem vehiculum Serum, sibi  
quasi insculptam, succorum in venis,  
vel arteriis contentorum, quantita-  
tem cum qualitate possidet, sicque  
nos in morborum omnium é multi-  
tudine & cacochymiâ natorum co-  
gnitionem primitus & per se dedu-  
cit: reliquos verò in aliis locis hæ-  
renteis, ut phrenitin, pleuritin, & si-  
mileis, quibus materia é venis sup-  
peditatur, vel non, ex accidenti con-  
cernit & judicat, ac nos veluti auri-  
bus & oculis captos in Morbi peni-  
trale

trale vehit. Quæ omnia paullo post, de præfagitione ex Urinarum differentiis disputans, adcuratius persequar & explanabo.

Sed mirabitur fortean non nemo, contra quorūdam non obscuri nominis medicorum mentem, tantum fiducia in urinā quod colloce, & an nervorum morbi exindē conlegi possint, quæret? Cui responsum volo, me nervum aliud, quam venam, in naturam nervosam mutatam, esse ut crederem, hucusque induci non potuisse, quum in cerebrum per venas tenuior ex sanguine in corde fervente portio sublimata, ibidemq; alterata, extremis æquè quàm vicinis totius corporis membris, sensum & motum impertiat, idque per nervos, quos aut venis continuos, aut venas cerebrum ingredienteis, mutatas verò, ex eodem, ad sensus motusque organa, egredienteis concedi oportet, quum alia huic deferendo sanguini non animadvertantur vasa, & aliàs extra ve-



nas corruptus, cerebrique substantiæ impactus, phrenitin, aut simile malum facilè gignat, & effingat, ut & hinc animaleis hosce spiritus, ex vasis continentibus elabfos, inque laxam & viscidam cerebri substantiam diseminatos, in nervos readsumi, ✓ sicque toti corpori communicari, ✓ adseverare sit absurdum. Nec ob- ✓ stat venarum & nervorum impar constructio, quum una eademque materia, diversarum formarum capax, nervos quoque propè cerebrum, quo veluti tomento fulciuntur, candidiores, & alterius quasi quàm venæ, dissimilisque formæ adparere faciat. Quod verò à Portâ, per mediam Epatis carnem, sanguis transcoletur, ac in cavæ radiceis dispergatur, ob similitudinem carnis & sanguinis, citra noxam animantis, per ductus exhileis, & in cadavere, nisi recens jugulato, vix conspicuos contingit; ut longè aliam elaborandi quàm elaborati, ne dicam elaboratissimi

tissimi & subtilissimi rationem sanguinis esse silentio præteream.

Huic nostræ opinioni & experientia subscribit, quâ Colicam, Febris, & arthritidem, sæpè in paralyfin, & hanc in illos adfectus desinere comperimus, quum continuo ductu morbosa materies, ab intestinis, per venas, in cerebri tenuis & capillareis venulas, quæ nervi fiunt, trahitur deduciturve.

Proindè quum Urina Venarum omnium & statum & morbos præfagiat, quid impedit, quò minus quis ex eadem, de nervorum quoquè adfectibus, ut paralyfi, tetano & spasmo certi quid pronunctiet? Quod obtinebit hâc in palestrâ quotidie sese exercens, & vulgi calumnias, quibus ars nostra præ aliis oneratur, evitabit, ac cum summâ sui admiratione, quæ evenerunt & imminet, enarrando symptomata, ægros ad varia toleranda pharmaca promptiores paraturosquè reddet.

## Caput IV.

COLOR URINARUM ET  
SALSUGO UNDE. ET  
QUID SINT.

POTISsima Medicorum turba, Colorum in Urinis diversorum causam, vel viscerum, corporisque calori, aut frigori, adeoq; simplici, & nudæ intemperiei; vel humori alieno, cum primis bili, ferum coloris aliquin expers, inficienti, adscribunt. Equidem id veluti sæpè fieri adsevero; ita hoc perpetuum statuere impedior. Illud namque respuo ingenium, quod opinioni, cui se semel serviliter m̄cipavit, ita adhæret, ut nihil quod ab hac discrepet, ferat aut admittat. Proinde meam, Philosophicæ libertati adhuc salvæ confisus, aperiam sententiam, quam ut doctiorum sincero judicio permitto, sic aput rudes culpam haut deprecandam censeo.

Urinam, antequam per vesicam eliminetur, sanguinis esse vehiculum  
nemo

nemo nescit, & nos antea sæpè diximus, qui ab Epatis parenchymate, quod hiantibus venæ portæ ramulis, sanguinem in venis perfectum, ut eo nutriatur, haurit, undè & concreti a: torridi sanguinis quodammodo speciem induit, rubedine, non aliter ac in ictero, obstructis bilis ductibus in intestina, universus sanguis flavescit, imbuitur. Qui color utrobique, cum aquæ tepidiusculæ lotionè faciliè abstergi possit, accidentaliter duntaxat inheret, & nutriendę parti, pre laxiori vel densiori, quam habet, substantiâ, cum nutrimento, vel imbitur, vel depositus ad vesicam cum fero deturbatur. Ita ossa, cerebrum, membranę, venæ & arteriæ spermaticę, quę sunt propagines venæ cavę & arteriæ aortę, eamdemq; naturam cum illis obtinent, albicante sanguine alimentantur, & quod docet anatome, in se continent. Caro verò & muscili, quia flaccidioris & laxioris sunt substantiæ, ruborem hunc juxta

cum  $\tau\epsilon\omicron\phi\eta$  suâ, adsumunt & imbibunt. Hic ergo rubor vel remissus vel intensus ita variegatam producit Urinam. Sic in obstructionibus, sanguine ad parteis minus eunte, & colore, quem imbibere caro solet, al vesicam regurgitante, urina valde tincta redditur. Contrâ cruditatibus onusti, & pituitosum vel subbidum generante Epate frigidiori sanguinem, excernunt Urinam albam vel glaucam. Rubor enim, cui quum sit vel nullus, vel exiguus, facile à carne, renibus & aliis partibus adsumitur. Haut aliter in phrenitide, seu meningum cerebri inflammatione, urina mingitur alba, non quia lotio tingēdo, quum in corpore humano, testante Galeno, semper, & cuâcunq; ætate, quocumq; tempore, in quibuscumquē venis, sanguis, qui ex quatuor humoribus constet, reperitur, bilis desit, sed quòd natura tota, à sanguificatione, ad dolentem locum, ob ingens & urgens periculum, avo-

avocata, distributioni alimentorum, nutritioni q̄; incumbere præcludatur.

Sal insuper, quod arte Spagiricâ ex Urinâ, naturali colore & sapore non ab simile elicitur, à bile, quæ exsecrabili suâ amaritudine falsuginem potius exstingueret, veram tincturæ petendam non esse causam ostendit: Hæc autem falsedo seroso humori, quum ex alimento, humano corpori utile, amplius generari nequit, imprimitur, & per falsas *ιδεοματίων* quorumlibet sanguificationem effugienteis parteis, quum dulcibus solum, docente Aristot. sect. 2. prob. 3. nutriamur, augetur, intenditurque.

Porro Color ex Elementorum diaphano, quod Aristoteli 2. de anima c. 7. duplex est, aqueum & æreum, opaco, quod terrenam fæcem, & lumine, quod ignem refert, oritur. Hic Platoni in Timæo triplex habetur, lucens & urens, lucens non urens, urens non lucens, & pro pari multitudine aut paucitate,


42 JACOBI FABRICI  
cum hoc vel illo diaphano, eoq; per  
opacum paucum, aut cumlatum ter-  
minato, unitus colorem variat, ut  
albus fulgentiorem, rubeus medium,  
niger tenebricosum sequantur ignē,  
& in colore diaphanum, quod præ o-  
paco viget, ad album, contra ad ni-  
grum disponant, 5. de gen. anim. c. 5.  
& 6. Licet verò propriè color ex pri-  
mis qualitatibus Elementorum non  
gignatur, sed mixtionem, & Crasium  
cum materiâ proprietatē, subsequa-  
tur, 1. de usu part. 10. adeoq; nec tēpe-  
rumentum certū designet, 4. de simpl.  
med. fac. ult. quum albedo frigidissi-  
mæ nivi, & calidissimis cæpis con-  
gruat: tamen ex diversâ mistura & I-  
gnis unione, numquam non qualita-  
tibus primis, hincq; ex filienti tempe-  
rici conjungitur, quæ alicui speciei  
naturalis, in individuo ex colore va-  
riatur quâ gradum. Ex eodem enim  
diaphano, iisdemq; partibus lumino-  
si ignis, sub proportione non impari  
cum opaco constantia corpora, suo  
colore

colore indicant nobis, quâ mixtionem primam, coctionis gradum. Sic cæpæ suâ naturâ calidæ, propter diaphanum aëreum, ex quo, unito cum igne & paucò opaco compositæ, crudæ rubent, coctæ albescunt, sicq; hæc mixtione quasi secundâ, separatis nimirû coctione partibus terreis, & in suo excessu restrictis, temperantur; illæ verò ob ignem excedentem & potentio rem, ac magis opaco condensatum, adeoq; obscuriorem, qui in albis coctione redditur clarior, sibi ex mixtione primâ ingenitam caliditatem retinent. Ita Rosæ albentes rubeis magis refrigerant, quum his plus ignis quam iis datum adpareat. Ad hunc tamen colorem non saltim ignis claritas, sed & diaphani vigor præ opaco, quod paucum habebit, requiritur. Proinde si idem luminosus ignis diaphano additur aqueo, paucus quidem ad albedinem sufficit, & propterea corpus facit frigidum, albidum, humidumq;: diaphano verò aëreo

reco



44 JACOBI FABRICI  
reo itidem in eâdem quantitate jun-  
ctus, calidius quidē, sed nihiloscius  
albū producit coloratum, unde & 5. de  
gen. an. aërem facere dicit albedinem  
Aristoteles. Sin verò ignis clar<sup>9</sup> mul-  
to diaphano aqueo citra opaci mul-  
titudinem copulatur; & talis iterum  
ignis diaphano aëreo cum multo opa-  
co, tum profectò illud hoc albius eva-  
det. Sed heic in Coloris naturâ ulterius  
indagandâ adquiescam. Plura qui  
desiderat, consulat Aristot. 2. de ani-  
ma, ac libro de sensu & sensili, Platonem  
in Timæo, horumq; interpretes.



*Caput V.*

URINÆ NATURALIS EX-  
QUISITÆ ET MEDIÆ  
DIATYPOSIS.

Quemadmodum in arte nostrâ  
Morbi explicationem adgres-  
sus, summum medici medicantis, na-  
turæq; ipsius, quem intendunt, finem,  
SANITATEM, omnib<sup>9</sup> actionibus salu-  
briter obeundis aptam, quid nempe  
fit,

fit, præmittere solet, ut naturali cognito, non-naturalis cognitionē haut difficulter venetur: ita & ipse Sanorū Lotium, ad quod, veluti quamdam Cynosuram, ægrorum urinæ examinandę veniant, prius exhibebo. Quod quum in viris aliud: aliud in mulieribus: in pueris aliud: aliud in senibus observetur, ac nihilominus unumquodq; proprio sexui & temperamēto conveniens, naturale dicatur, rectè facere præsumor, si Galenum, & alios Medicinæ autores imitatus, velut hi temperamentum quoad pondus *εὐκρίνου*, cogitatione magis quàm reapse existens, ut Medicinæ studiosi regulam, ad instar statuæ Polycleti, ad quā omnem temperiem exigent, indispiscerentur, invenerunt; ita ego Lotium optimum & exquisitum cum Fernel. l. 3. de puls. & urin. cap. 10. dicam, quod sit, substantiā mediocri, nec aquæ modo tenue, nec ut jumentorum crassum, clarum, non turbidum, colore subflavum, quantitate mediā

46      JACOBI FABRICI  
mediâ, & hesterno, superiorumque  
dierum potui respondens, aut ali-  
quanto parcius, quod potus non-  
nihil in corpus absumatur, hypostasi  
albâ, lævi & æquali, in acutum fasti-  
giatâ, nec crassi quidquam, nec bul-  
lam, nec filamentum, nec eorum ali-  
quid, quæ inter mala referuntur, ha-  
bens. Hæc urina non modò incul-  
patam omnem naturæ concoctio-  
nem, sed & integram corporis vali-  
tudinem denotat, nec nisi in optimæ  
temperiei homine animadvertitur,  
reliquarumque esse debet lex & a-  
musis. A quâ primitus deflectunt,  
nec tamen ab lato sanitatis limine  
decedunt, urinæ mediæ, ac per sani-  
tatem & citra morbum immutatæ,  
quarum differentiæ ab accidentibus  
intrinsicis, complexionem, ætate &  
sexu, ac extrinsicis, regione & aëris  
constitutione, anni tempore, ac vitæ  
genere desumuntur. In Tempera-  
mento quidem eoque sanguineo  
conspicitur Urina, rubore suo ten-  
dens

dens ad obscurum, & in substantiâ mediocriter spissa. Crasin cholericam monstrat lotium citrinum, rufum, multum coloratum cum substantiâ tenui. Phlegmatica urina coloris datur albi & subspicei, cum substantiâ ad spissam crassitiem declinante. Melancholicam verò temperiem confirmat urinæ frequenter mictæ color albedini vicinus, cum quadam fuscositate, & substantiâ satis tenui.

Ætate mutatur urina, estque Puerorum alba & crassior, cum sedimento copiosiore. Iuvenum citrina, tendens ad igneum, cum substantiâ mediocri. Senum alba, tenuis, cum hypostasi exigua. Quin & sexus varietas hinc concludi potest, quum virile lotium plus muliebri tingatur, ejusque manu moti partes turbentur, atque in superiora Matulæ ascendant: Mulieris autem non prægnantis subcitrinum, ad albedinem cum turbulentiâ quâdam & notabili crassitie

48 JACOBI FABRICI  
crasitie declinans: prægnantis verò  
subalbidum; clarum, cui in summâ  
facie, tenuifarinæ aut amylo quæ-  
dam innatant similia, adparet, & in  
quiete enæorema deponit crasius-  
culum, ad modum carptæ tenuiter la-  
næ, commixtum quandoq; granulis  
adscendentibus & descendentibus,  
quibus motis non conturbatur.

Regione & aëris constitutione ca-  
lidâ, coloratior & magis inflamma-  
ta, veluti frigidâ, alba, crassa, cum se-  
dimento copioso redditur urina. An-  
ni tempus, ut æstas, lotium reliquo  
tempore plus, hiems vero remissius  
tinctum ostendit, inter quæ, anni  
partibus, vere & auctumno, excreta  
mediant. Vitæ genere, ut inediâ, ci-  
borum calidorum usu, exercitio ni-  
mio, ac vigiliis Urinæ coloratiores  
& pauci sedimenti; contrâ somno  
multo, crapula, frigidorum esu, ocio  
& inertia albæ, crassæ, & plurimi se-  
dimenti atq; crudi redduntur. At-  
que hæ potissimæ sunt naturalis, ex-  
qui-

quisitæ & mediæ, Urinarum differentiarum, quibus habitis & probè cognitis, tantò melius excessuum & defectuum limites indagabimus & offendemus; Reliquum est, ut plenioris doctrinæ gratiâ consideretur, an Urina, quæ ex dictis adparet sana, nullo umquam tempore esse possit mala?


Galenus ejusque sequaces 3. de prælag. ex puls. c. 4. in febre pestiferâ urinam quandoquè in substantiâ & colore omninò sanas æmulari sentiunt, quod putredo cordis solum occupet corpus, & epate ac venoso genere parùm aut nihil adfectis, urinæ putredinis expertes, per vasa in vesicam labantur. Ipse tamen huic sententiæ nec planè contrarius, nec plenè adsentior. Testis namquè fuit superiorum annorum lues epidemica, quæ aliquot diversarum ætatum, diversiquè sexus infectorum urinas, ut plurimùm, propter maxumam humorum ebullitionem,

D                      sub-

subjugalium, nequaquam sanæ, simileis sæpissimè exhibuit. Non raro quoque, humoribus crudioribus existentibus, albida & subtilis, ut contra, sanguinis recrementis abundantibus, rubra & confusa, illisque subadustis, aut tenui melancholiæ admistis, vini granatorum colore adparuit.

Ne tamen is videar, cui quod ab aliis vulgatum minus adridet, mediam quasi ingrediens viam, pestem, quum ab eâ plurimi pereant, multi evadant, gradus admittere, magisque minusq; venenatam dici posse censeo. Hinc sæpè accidit, ut paucis interjectis horis, imò antequam lotium excernat, vel medico inspiciendum mittat, æger vitam cum morte mutet: Alij verò & ultra octiduum, aut præterpropter, lecto adfixi gemant, & tandem vel oppressâ, vel eluctante naturâ moriantur, aut vivant, cujus luculenta indicia hâc in re exercitatus ex lotio hauriet. In  
veh-

vehementissimè itaque contagiosâ,  
 celerisque ortus, præcipitisq; interi-  
 tus feбри, nonnumquam contingere  
 potest, ut cordis partibus solidis in-  
 fectis humores mancant illæsi, & ho-  
 rum serum in venis à calore absu-  
 matur, sicq; excreta urina saltim hu-  
 miditatis serosæ, à jecore in emul-  
 genteis demissæ, portio sit, quæ licet  
 sanæ non absimilis, quâ substantiam  
 & colorem, videatur, hypostasis ta-  
 men, cujus Gal. non meminit, si inti-  
 mius consideretur, morbi, quem dixi,  
 malignitatem haut rarò refert, mani-  
 festatque. Quocircâ non substan-  
 tia & color tantum, sed & quæ Uri-  
 næ permiscentur, ejusquè contenta,  
 ut examusim trutinentur, operis ad-  
 primè reor utilis & necessarij.



*Caput VI.*

URINÆ NON NATURA-  
 LIS AB SUBSTANTIA DESUM-  
 TÆ DIFFERENTIAE, ET  
 SIGNIFICATA.

D 2

Natu-



Naturalis urinæ normâ propo-  
 sitâ, superest, ut ad hanc præ-  
 ter naturam ortas differentias, diri-  
 gam, similiterque introspiciendo,  
 quid unaquæque ordinè denun-  
 ciet, seorsim declarem. Quia ve-  
 rò vel substantiæ, vel accidentium  
 ratione discriminantur, illaque his  
 nobilior existat, primitusque oculo  
 feriat, rectè ex substantiæ modo  
 desumptas jamnunc intuebor diffe-  
 rentias; quæ quum Lotij liquorem  
 concernant, eique vel tenuitatem,  
 vel crassitiem, vel perspicuitatem,  
 vel turbulentiam imprimant, non  
 malè hinc Lotium quoq; vel tenue  
 vel crassum, vel clarum, vel turbulen-  
 tum dicetur. Differunt verò crassum  
 à turbulento, ut & perspicuum à te-  
 nui, quod veluti per illa oculorum  
 transit acies, sic hæc penetrare impe-  
 ditur; & non aliter, ac vel crassum  
 mingitur & permanet, vel crassum  
 mingitur & tenuatur, vel tenue min-  
 gitur ac crassescit; ita & excernitur  
 vel

vel pellucidum ac turbatur, calorisque ope pristinam pelluciditatem redinduit: vel mingitur turbulentum, & postea subsidens redditur perspicuum: vel excernitur turbidum ac perdurat, adeo ut Ignis operatori restitui intercludatur, vocaturque subjugale, & est jumenti simile. Veluti autem Urinae turbatae mixtae superiores portiones, ob humorum, potissimum pituitosorum, iisque immixtorum, propter gravitatem fundum matulae petentium, excretam copiam, clarescunt: ita clarae ex imperfecta diversarum partium inter se separatione confunduntur, suoque nitore ignis aut aquae calore redduntur. Ut autem in actu practico Crassas à Crassioribus & minus-Crassis distinguas, fundo Urinalis, juxta cap. 3. praecipua constructi, ut tribus circiter aut praeter propter digitis inde distet, manum tuam subde, quae si multo major, quam reapse est, adparet, intense

D 3                      cras-

54 JACOBI FABRICI  
crasam: si parum auctior, moderatè  
crasam: si nihil majorari videatur,  
tenuem potius, quàm crasam tuam  
pronuntiã Urinam.


Omne verò lotium, quatenus tur-  
batum est, confusam quamdam te-  
nuium & crasiorum partium mi-  
scellam, quæ vel ex copioso flatu, qui  
corpus permeans illi permiscetur, &  
parteis heterogenias confundit; vel  
calore imbecillo, diversas Urinæ  
portiones, ut quæque suum occu-  
pet locum, sequestrare inepto, ge-  
neratur, universim portendit. Pro-  
indè sicuti Urina micta tenuis, & po-  
stea crassescens, calorem sensim im-  
minui: ita excreta turbida, ac de-  
indè subsidens, à flatulento spiritu  
humores agitante natam confusio-  
nem denotat, undè & heic, ab ingeni-  
to Urinæ calore flatu tandem discus-  
so, heterogenæ partes segregantur,  
fundoque immerguntur, regioque su-  
perna clarescit. Expers autem talis  
subsidentia Urina, & peregrini ca-  
loris

loris beneficio perspicua facta, veluti cumulos flatuum simul cum imbecilli calore; ita clara quæ reddi nequit, & subsidentiam carens, sæpiculè in malignis febribus occurrit, ac humorum confusionem, non tam ex flatu, quàm naturali calore omninò deficiente, penèque subfocato, subortam monstrat. Hinc prognostica de ægri salute vel morte conleguntur, & Gal. I. Cris. cap. 12. omnem urinam turbatam aliquod concoctionis principium ostendere, & futuræ Criseos signum esse adserit. Quare quò citius à se invicem diversè divelluntur partes, ac subsident, idq; vel suâ sponte, vel alterius ope, eò perfectiorè concoctionem, & vice versâ, ægri tamen semper pensitatis viribus & adfectu, præfagies. Namq; non rarò pestiferi morbi ejusmodi subsidentiam, non à caloris nativi robore, sed peccantis humoris pondere, urinæ superficie nihilofecius crassâ, & vel lividi, vel viridis, vel nigricantis coloris per-

manente, producant. Accedit etiam, quod, quas dixi, urinæ, in quantitate exigua, sed sæpius, cum nullâ infecti sublevatione: turbatæ verò salutare confertim in magnâ copiâ, & ægri commodo excernantur. Quod si nec Ignis, nec Aquæ calore revertantur Urinæ, concoctionis facultatem emortuam, summamque pestem ac malignitatem, adeoq; mortem ipsam denuntiabunt.

Denique urinæ pellucidæ & post turbatæ, naturam jam concoctionem adgressam indicant, & virtute existente robustâ salutem, eâdem languente vel mortem, vel morbi saltim, longitudinem pollicentur. Crassæ quæ vel in morbi principio tales, & deindè adtenuantur: vel in declinatione tales, quum ab initio tenues erant: vel à morbi principio ad finem usquè crassæ manent, omnes imperfectam concoctionem designant, quum vera coctio ex urinis deducenda, in substantiæ medio-

mediocritate conlocetur. Censent  
tamen non pauci, vi Aphoris 69 sect.  
4. Urinas, si in morbi principio cras-  
sæ & paucæ, ac ultimò multæ & te-  
nues excernantur, manifestum Crisis  
atque salutis circumferre signum.  
Ipse tamen, cum Philotheo, Hip-  
pocratem hoc aphorismo, quæ sibi  
rarò visa, ostendere voluisse conclu-  
do. Verus etenim coctionis mo-  
dus requirit, ut in principio tenues,  
statûs tempore crassiores reddantur  
urinæ. Crassum autem ab princi-  
pio ad finem usque lotium cum vir-  
tutis robore, veluti morbi longitu-  
dinem sed salutarem: ita illâ lan-  
guente & imbecillâ mortem ipsam  
portendit.



*Caput VII.*

URINÆ NON-NATURA-  
LIS AB QUANTITATE DE-  
PROMPTÆ DIFFERENTIÆ,  
ET SIGNIFICATA.

D 5

Ante-

**A**Ntecedenti capite Urinarum ab  
**S**UBSTANTIÆ modo defum-  
 tis explanatis discriminibus, reli-  
 quum est, ut pariter ab ACCIDENTI-  
 BUS nata introspeciam. Quæ quum  
 vel à quantitate, vel qualitate, vel  
 ab urinæ permistis, vel contentis  
 pullulent, primo loco Urinæ quanti-  
 tatem observandam judico, quâ ex-  
 pedita, cæterorum quoque notitiæ  
 incumbam. Est verò illa vel nimis  
 copiosa, vel pauca nimis. Hæc aut  
 Instrumentorum, per quæ meat, vi-  
 cium, aut humiditatis serosæ defe-  
 ctum, vel crassitiem nimiam indi-  
 cat. Instrumentorum vicium aut  
 ab insigni intemperie, aut organi  
 morbo, qui vel simplex est infarctus  
 ex crassis humoribus vel calculo: vel  
 inflammatorius, non saltim vesicæ,  
 aut ejus colli, aut ureterum, aut pu-  
 dendi, sed & uteri vel ani tumor,  
 producitur. Humiditatis serosæ de-  
 fectus, vel ciborum exsiccantium  
 usu, vel potus abstinentiâ, aut im-  
 modi-

modicis exercitationibus contingit; & vel ad alias partes convertitur, sicque aut sudore aut alvo excernitur: vel circa viscera, aut in corporis venis retinetur, ac hydropis, ascitidis, vel leucophlegmatix periculum imminere ostendit. Urinam autem paucam ex pituitæ impedimento subortam crassities illius manifestat. Calculum præsentem subindè eliminatæ docent arenulæ. Ac veluti tumorem in vesicæ collo aut pudendo, si vesicâ repletâ nulla emittitur urina, cognosces: ita eundem supra vesicam existare, hæc in se serum recipiente nullum, divinabis. Flammeus etiam & ingens in acutis febribus calor humiditatem absument, urinæquè copiam minorat. Ex caloris extinctione, reliquis simul deficientibus facultatibus, expultricis imbecillitatem dignosces. Et quia à Medicis numquam observatum Urinæ paucitatem, nisi ab alvi copiosâ dejectione, vel sudorum pluri-




plurimorum ejaculatione inducta sit, concoctionem significare, rectissime & nos cum Hipp. & Gal. urinas paucas lethaleis existimamus.

Copiosior urina, ex interno adfectu promanans, viciū ureterum & renū, vel intemperie nimis calidā ustulatorum, aut insigniter relaxatorum, nec sibi tramissas humiditates retinere valentium, ut in diabete, ubi statim à potu redditur urina tenuis, alba, sine hypostasi, & parum aut nihil immutata: vel febrim humores in corpore liquefacientem: vel aquosam viscerum, aut venosi generis expurgationem, ut in hydrope, designat. Ciborum quoque humectantium usus & esus, potulentorum quē nimia ingurgitatio, ut & sudores intercepti ac retenti, & exsiccata aut adstricta alvus, quantitatem lotij adaugent. Ex aquæ circa viscera, aut in corporis venis collectæ exinanitione, si copiosa profluat urina, cadet tumor, vel

vel hoc minus adparente, æger sub-  
levationem insignem percipit. Hu-  
morum *σύντηξι* aut adtenuationem, ex  
acutissimâ feбри, & urinarum cras-  
sitiæ, cum colore livido, aut viridi, &  
pinguedine nonnumquam superna-  
tante, quæ plærumque lethales sunt,  
animadvertes.

Porro inter eas, quæ ex humorum  
redundantiâ augmentur, hic est ordo,  
ut multæ & nigræ aut lividæ, in die  
critico excretæ, quò plures, eò me-  
liores credantur. Multæ nigræ &  
crassæ si adpareant, & postea inter-  
cipiantur, cum patientis labore, mor-  
tem portendunt. Urina quæ alter-  
nis vicibus vel minoratur, vel auge-  
tur, naturæ & morbi duellum osten-  
dit, de quâ quò sincera prognosis  
formetur, vitalis virtutis ineunda ra-  
tio est. Multa in acutis febribus,  
quam ægri quies non subsequitur,  
mortem significat. Bonum verò ju-  
diciū est, si post crassam urina mul-  
ta mingitur & tenuis.

Caput



*Caput VII.*

URINÆ NON NATURALIS AB QUALITATE DESUMTAE DIFFERENTIAE, ET SIGNIFICATA.

Quò melius de morbi origine & concoctione Medicus judicet, necessum est, ut urinæ substantiam cum qualitatibus, quæ in sono, tactu, colore & odore cum primis animadvertuntur, junctam trutinat, sicque sententiam suam proferat. Quamvis autem & tactu & sono urinæ per Avicennam & Mercurialem distinguantur, ipse tamen, quum ad prognostica & curâ Medico ex se parum conducant, illis relictis, à colore & odore dumtaxat natarimabor discrepantias. Quia verò quomodo Lotio color imprimatur, & quid sit, superius adnotavi, antequam quid præfagiat significem, notandum venit, Colorum duo extrema, album & nigrum, dari, inter quæ

quæ mediant flavum, rubrum, viride & livens, quorum hæc ad nigrum, illa ad album inclinant. Quæ rursus per intensum & remissum discriminata, proprio deficiente vocabulo, particulâ SUB exprimuntur. Quilibet autem Color vel simplicem intemperiem absq; materiâ, vel humorum miscellam solam, vel hanc cum intemperie ostendit. Simplicem intemperiem sine materiâ, Urina alba usq; ad rubeam portendit, & distinguitur ab iis, quæ humorum permutationem monstrant, eundemq; non raro colorem obtinent, solâ tenuitate, pelluciditate, crassitie ac turbulentia.

Proinde Urina alba & tenuis tria adfectuum genera: vel jecoris ac renum obstructionem; vel exactam ventriculi ac venarum cruditatem; vel denique, quum natura tota ab sanguificationis opere ad dolentem locum, propter summum, quod adest, periculum avocatur, ut eò minus ali-  
menti

menti distributio & nutritio procedant, delirium indicat. Ne autem de Urinâ, quidquid in buccam venit, evomas, teque tuamque existimationem polluas, operæ precium est, ut ante judicium, an æger ardenti feбри, vel dorsi intenso aut minus dolore conflictetur, scisciteris. Quod si prius adfirmetur, veluti mox delirium vel præsens, vel imminens conjicias: ita posteriori dato, & circa renes dolore percepto, obstructionem præsentem, & vel renalem vel vesicæ calculum imminere acutè prævidebis. Si verò neutrum adfuerit, exactæ cruditatis indicium habebis, & ægrum inadpetentiâ infestatum, multo flatu & murmure, ventriculique dolore torqueri adseres: quin imò, quò magis te mirentur, subdicere potes, ægrum esse coloris pallidi, inq; lienteriam, καχεξίαν, vel λοιμοφλεγμᾶτιαν proclivem: Si verò hujusmodi Urinæ quandoq; à timore vel mœrore oppressis redduntur, ægrum vel Lie-

nis

tumore, vel aliis circa Mesenterium aut hypochondria infarctibus, cum palpitatione cordis oneratum, & melancholicos hypochondriacosq; affectus præfagies.

Porro generatim omnes hæ Urinæ, in acutis morbis, exquisitam monstrant cruditatem, crisiisque omninò sunt contrariæ, ac quoad salutis vel mortis *περὶ τὴν*, pro ætatis, statusque Urinæ & morbi ratione, modò deteriores, modò meliores censentur. Hinc Hippocr. 2. prog. 32. albas & tenuis urinas in pueris, quod illæ huic ætati minus competant, lethales judicat. Eadē in acutis, quum morbo planè contrarientur, & materiam putridam ad nobiliores parteis confugere denuntiant, perniciosæ. Pessima verò est, quæ in morbi statu, quum à principio crassa & rubra excernebatur, alba & tenuis redditur, & materiam non concoqui, sed crudiorē reddi portendit, docente Hipp. 3. Epid. tex. 28.

E

Prius-

Priusquam autem certi quid de morbis ex lotio statuatur, caussarum quoque antecedentium respectus habendus venit. Veluti enim immodicus potus, aut fructuum horariorum, cibique cumulationis usus & efus, aut vehementius corporis frigus, urinam decoloratiorem reddunt: ita eandem Rhabarbarum, Cassia, Crocus vel sena, aut cibi calidiores, aut diuturna inedia, animique & corporis motus vehementiores magis tinctam ac rubeam efficiunt, ac planè alieno odore, ut allia, asparagus, terebinthina perfundunt. His verò præmeditatis, & Urinâ omnilabe externâ carente, tenuem & rubeam, calidam intemperiem, jecoris imprimis & renum, testari, ægrique corpus siti ac vigiliis extenuatum, manus ac pedes intensè calere, ac scabie & pruritu tentari, os amarum cum vomitibus & secesibus biliosis rectè pronuntiabis.

Tandem inspectâ & examinâtâ  
urinâ,

urinâ, simplicem intemperiem sine materiâ monstrante, superest, ut me ad eam, quæ vel humorum permistionem solam, vel hanc cum intemperie demonstrat, conferam, ubi primitus albor prodit, qui ut urinæ conjunctam habens crassitiem, humorum redundantiam; ita cum crassitie confusionem obtinens, putredinem monstrat, quemadmodum in progressu à se invicem distantibus conlectis gradibus tradetur. Hinc alba & velut cornu perspicua, crassa tamen, copiam phlegmatis viscidi testatur. Lactea summæ cruditaris ex eodem, sed crassiore, humore ortæ index est. Quapropter ex his Urinis ægrum colicis, podagricisve cruciatibus subjeci, aut apoplexiâ, Epilepsiâ & similibus morbis frigidis & diurnis, quos hæc puitæ genera excitare solent, torqueri pronuntiabis. Quod si cum confusione ijdem adpareant colores, ægrum aut quotidianæ, aut hemitritæ,



in quâ pituita bilem vincat, aut præ-  
 senti, vel futuro, renum & vesicæ  
 calculo obnoxium dices. Locus ve-  
 rò adfectus, veluti in urinis non con-  
 fusis, aut ventriculus, aut intestina,  
 aut Mesenterium, aut caput, non  
 quidem secundum venas, sed spacia  
 & cavitates datur: ita in confusis,  
 materiam peccantem, aut corporis  
 venæ, aut viscera, aut renes & vesi-  
 ca fovent: quod ut ex urinæ ardore  
 & difficultate, ac in summitate penis  
 pruritu, cum continuo mejendi desi-  
 derio, & circa renes stagnante dolo-  
 re cognoscitur: ita humorem in visce-  
 ribus contineri, & obstructionū ma-  
 trem esse, partim tactus, partim febres  
 manifestant. Porrò Urina alba crassa  
 & confusa in diuturnis febribus Cri-  
 sin significat, sed per aliquem ab-  
 scessum; in acutis, nisi in die Critico  
 natura morbificam materiam expel-  
 lat, & infarctus referet, mortem aut  
 morbi longitudinem indicat.

Has subsequitur Flava seu Citri-  
 na,

na, quæ sub se ruffam & croceam complectitur, & cum urinæ crassitie semper bilem, eamque vel intensam vel remissam, permistam fortita, vel tertianæ nothæ, vel duplicis index est. Ruffa vel pallidæ bilis, vel serosi sanguinis multum capax, secundum Hippocr. 2. prog. 27. morbum longum, eumque salutarem notat. Crocea splendida & fulgens, cum insigni caliditate, ardentis febris, aut exquisitæ tertianæ signum. Rubea citrinâ intensius coloratur, & est vel rubea clara, quæ bilem aut flavam, aut rubeam, sed aliquantum assatam sibi immixtam habet: vel uvea aut vinea, quod colorem aut vini, aut succi passularum æmuletur dicta, quæ majorem bilis torridæ & ustæ miscellam obtinet. Utraque redundantiam sanguinis, & confusa synochas denunciat putridas, ac febris ardenteis, quarum ortus vel ex jecoris inflammatione, vel insigni intemperie calidâ. Sæpè etiam Ictærum

futurum aut præsentem ostendit; est-  
què si die Critico excernatur saluta-  
ris, at per morbi tempora continuò  
adparens funesta.

Quemadmodum autem à caliditate  
numquã Urina nigrescit, nisi corpus  
aliquod exhalabile ei admisceatur,  
quale est aut succus Melancholicus,  
qui ob siccitatem per calorẽ vertitur  
in fumum: aut pinguedo, vel alia que-  
piã substantia oleosa nostri corporis,  
in quam dum agit intensus estus, ut in  
febr. ardentibus & peste contingit,  
urina nigrorẽ concipit: similiter & ni-  
gredo Urinæ propter frigus commu-  
nicari nequit, nisi ex permistione suc-  
ci melancholici, qui generatur ex ipsa-  
met frigiditate, exstinguente & morti-  
ficante calorem & sanguinis spiritus,  
quibus recedẽtib, sanguis ipse ater  
& nigricans permanet. Est verò sem-  
per, nisi die judicatorio excernatur,  
lethale signum, Gal. 1. de Crif. 12. &  
comm. 2. progn. tex. 29.

Miror proindè Mercurialem Gale-  
num,

num, dum hunc expressè 6. Epid. longè aliter in corpore, quàm extra idem res à frigore indurari admisisse lib. 2. c. 11. var. lect. scribit, improbare, nec horum descendere potuisse, ut corpora nostra respectu caloris nativi exsoluti, suaq; privati formâ, infrigidari, urinisq; nigrorem imprimi stateret. Sic enim & Hipp. 4. aph. 37. sudores frigidos in febris manare pronuntiât, non quod in corpore vivo, aut ejus venis & arteriis, undè frigidus erūpit sudor, tanta consistat frigiditas, sed quod calido extincto nativo, ubiq; nutet homo, partiumq; naturæ elanguescant & moriantur. Idem de frigidis ἐμπυρικών sudoribus & ἐφιδρώσει, cum Hipp. lib. 3. Coac. prædict. sect. 2. & de hecticis ac syncopticis cum Gal. 3. de sympt. caus. c. 2. ut & de iis, qui in extremo vitæ limine versantur, dicendum venit.

Viridis Urina pravissimæ bilis exauctæ quantitate & qualitate excessum portendit, & si diu perseve-

E 4


rat,

rat, cum ad fiduâ siti & æstu, non exiguus metus est, ne convulsio à siccitate ægrum corripiat. Livida Urina vel per superficiem corporis melancholicum fuscum significat humorem, vel plagas & vibicis nonnumquam sequitur, sanguinisque mortificationem demonstrans, per Urinæ vias & alvum effunditur. Præter enumeratas differentias, aliæ quoque inter medias mediæ recensentur, quarum tamen cognitioni singulariter & seorsim incumbendum minus reor, quum facile in hâc palæstrâ exercitatus, ex dictis cum indictis conlatis, quid hæ portendant, per se haurire valeat.

Rectâ proindè nos jam ad alteram Qualitatis speciem Odorem, qui invitos sæpè Medicos, eorumque nares, dum Urinam contemplantur, ferit, conferimus. Hic nisi ab externo aliquo Urinæ imprimatur, vel vesicæ vel pudendi, vel renum aliquod ulcus, aut insignem partium  
 supe-

superiorum putredinem ostendit. Quæ ab se invicem discernuntur, & illæ concoctionis signa, cum pure aut sanguine excretis monstrant: hæc verò sine dolore & ardore, sine coctionis signo, sine pure aut sanguine excernitur.

Non aliter autem ac putredo, urinâ existente crassâ & turbidâ, ipsos incolit humores: ita eadem tenui & perspicuâ, sicque diu & aliquoties mictâ, parteis occupat solidas, estque, volente Hippoc. 4. Aph. 47. si die critico reddatur, signum bonum: Avicenna tamen urinam foetidam, cui succedit inodora, sine ægri allevatione, mortem propinquam ostendere ait. Inodora urina similiter aut exactam Ventrîculi & venarum cruditatem, ex diuturnâ intemperie resultantem, sicque molestum ac longum decubitus; aut naturalis caloris extinctionem, sicque acutum & lethalem morbum portendit.



## Caput IX.

URINÆ PERMISTA  
QUID PORTENDANT.

**I**Nter reliqua Urinis immixta, post substantiam & accidentia, quod superficiei inhæret, & sese conspiciendum præbet, est, vel spuma, vel conliquatus adeps, aut corona. Hæc supremam faciem ambitu cingens, in sanorum Urinis, ob partium æqualitatem, vix cernitur; in ægrorum verò lotiis, ob partium dissimilitudinem & humorum agitationem manifesta est, & tum peccantium humorum, tum adfectorum locorum fit index. Hinc ut & alba & tenuis sanguinem aquosiores: crassa & alba pituitosiores: crocea biliosiores: rubra fervidiores: ita viridis bile prasfinâ vel æruginosâ, cærulea & livida naturali melancholiâ, vel atrâ bile ægrum conspurcari denotant. Quod si corona bullas contineat,

at,

at, quæ, agitatâ Urinâ, ad instar granulorum sursum deorsumve ferantur, æger catarrhis ex capite in sedeis subjectas, vel thoracem, vel articulos, decidentibus infestabitur. Si verò quiescant, materiam capiti inclusam, cephalalgiaë causam, & quidem ut universi capitis, universâ bullis refertâ coronâ: ita iis medietatem saltem occupantibus, medii tantum dolorem arguent.

Spuma citra Urinæ agitationem data, flatus plurimos in corpore oberrantes, & partium distensiones, declarat: sique à flatu in materiam viscidam agente nascatur, morbos simul indicat, quos hæc pituita excitare solet, ut sunt dolores colici, imbecillitas ventriculi, cum rugitu & murmure, ejusque generis similis obstructionum suboles. Bullæ spumam incolentes, si facile solvantur, tenuiorem pituitam, nec difficulter dissipabileis inde ortos vapores: si magnæ sint, diuque per-



persistant, crassos & viscidos humores, eorumq; prolem infarctus & flatus nuntiant, ac sæpè docente Hipp. 7. aph. 34. morborum nephriticorum & diuturnorum prodromi existunt.

Pinguedo refrigerato in pinguis jusculis adipi similis, Lotio superstans, & araneorum telarum speciem referens, dicente Hippoc. 2. progn. 35. hominem tabe consumi ostendit, & nisi renum læsio vel colliquatio adpareat, corpus totum vel febre ardente, vel pthisi, vel hecticâ liquecet. Idem sed inefficacius denuntiant divulsa quasi olei puncta innatantia, quæ quò facilius dissupantur, eò morbum leviozem & contra signant. Verùm hujus urinæ species in iis, qui dolore nephritico laborant, quum ante fortium *λίθων τευπλήκων* adsumtionem, oleo amigdalino dulci, vel simili usi, non rarò animadvertitur. Quâ de re, & quid jndicet, locupletius Gal. 7. aph. 35. comm. agit.

Vo-

Volitant porrò per Urinæ medi-  
um corpuscula ἀπομα, ut & pili. U-  
trumq; vel à semine, vel à pituitâ ena-  
scitur, & ob levitatem, quam habet,  
fundum petere intercluditur. Dum  
namque ventriculi vis stupet, cru-  
dam ac lentam pituitam profert, quæ  
sensim ad calidos renes cum sero de-  
voluta, in fila vel sabuleta conglo-  
batur, uriturque, & hæc adfectio τε-  
χνας seu pilimiçtio vocari solet. His  
& alia excrementa, vel farinæ cras-  
siori, vel squamulis vel furfuri simi-  
lia subungi possunt, de quibus Hipp.  
2. prog. 28. & Galen. in eum, ut &  
aph. 31. sect. 7. & 76. 77. & 81. sect.  
4. consulatur.

Cæterum & cum Urinâ sæpè san-  
guis, pituita crassa, pus & semen  
eliminantur. Sanguis quidem cum  
lotio exiens, vel apertionis, vel dila-  
tationis, vel imbecillitatis, vel cro-  
sionis, vel rupturæ indicium est, &  
locum adfectum habet, vel virgam,  
vel vesicam, vel renes, vel denique  
jecur,


jecur, juxta cum reliquis internis par-  
 tibus. Et Pudendi sanguis Urinam  
 cum ardore ac dolore præcedit: Ve-  
 ficæ verò juxta cum lotio, sed in ex-  
 hili quantitate, & nigricans mingi-  
 tur: unde ab eo, qui à renibus, non-  
 nunquam cum Urinâ, nonnunquam  
 post eam, sed insigni copiâ & abs-  
 que dolore, vel ardore, decidit, di-  
 stinguitur. Ex jecore sanguinem e-  
 duci & præfens febris, ac totius cor-  
 poris habitus monstrat. Insuper, si à  
 renum vel jecoris imbecillitate oria-  
 tur, adsiduò, sed paullatim, ac pro na-  
 turali statu albidior exit sanguis: si  
 ab vasorum vel apertione, vel ruptu-  
 râ, *αβρόως* & confertim mingitur. Idem  
 profluvium ob venas dilatatas con-  
 tingere sanguinis & urinæ crasities:  
 ob easdem crasas, ardor & dolor,  
 calculusque præfens vel incipiens  
 testatur, qui, quam partem inquî-  
 net, ex stupore cruris & testiculi  
 retractione animadvertitur.

Porrò Pituita, Pus & semen cum  
 lotio

lotio excreta à se invicem discrimi-  
nantur, quod hoc levius fundo non  
adfigatur; sed velut adeps urinæ su-  
pernatet, & gonorrhœam præsentem  
indicet: pus verò & pituita eidem  
adhærent, & ut illud agitando divel-  
litur, ac à fundo separatur: ita hæc  
matulæ adfixa indè divelli nequit, ac  
semper indicium est mucilaginosi in  
corpore redundantis humoris. Pus u-  
rinæ, aut ulcus pudendi, vesicæ, vel  
renum, aut jecoris, vel pleuræ, vel reli-  
quarum supernarum partium absces-  
sum, qui solius purulentæ materiæ ex-  
purgatione tollitur, notat. Pudendi  
quidè ulcus manifestatur, per puris  
excretionem, absq; ullo urinæ exitu,  
soletq; subsequi gallicam gonorrhœ-  
am. Renum verò vel vesicæ pus cum  
Urinâ quandoq; sanguini permixta  
prodit, secumq; renalis vel vesicæ cal-  
culi fomitem exonerat; hujus quidè,  
si albæ: illius si rubræ in Urinis adpa-  
reant arenulæ. Observandū tamen, ut  
antequam de Calculi certitudine quid  
adse-

80 JACOBI FABRICI  
adferatur, non semel, sed iterum atq;  
iterum consideretur lotium ( quum  
fieri possit, ut calculi materia unâ vi-  
ce excreta, vix longo tempore rena-  
scatur ) sicque per arenulas in matu-  
læ fundo aliquoties conspicuas, si  
cum dolore retineantur, & min-  
gendi difficultatem, inque summita-  
te virgæ pruritus generent, in ge-  
nuinam Calculi notitiam deduca-  
mur, ac illas, eò commodius, à sedi-  
mento vel bilioso, vel melancholico  
adusto, cui quâ colorem similes, quâ  
substantiam dissimiles sunt, discer-  
namus.

Hoc verò utroque probè exsicca-  
tò, ac arenulis duris & asperis, bilio-  
sâ autem vel melancholicâ, quam di-  
xi, materiâ tenellâ & friabili depre-  
hensis consequemur.



*Caput X.*

URINÆ CONTENTA. HO-  
RUM SIGNIFICATA.

Na-

**N**aturalia urinæ contenta, veluti tria numero, ita re unum sunt, & dumtaxat recrementi multitudine, ejusque tenuitate ac crassitie, & flatulenti spiritus admistione differunt, unoque nomine *ωδραφισάμματα* dicuntur, & sunt Hypostasis seu sedimentum, quum in imâ matulæ parte subsidet: *νεφέλη*, nubes aut nubecula, quum urinæ summitati supernatat: *ωκυώρημα*, quum æquis spaciis ab utrifque extremis secedit, & in altitudinis quasi medio consistit, undè & latinis sublatio, suspensio, sublime, sublimamentum nominatur.

An verò hæc contenta portio sint Urinæ, & in sanis ac ægris ejusdem speciei, ampla sanè & controuersæ plena est disputatio. Ipse utrumque adseverans, illud quidem, quia in omni urinâ reperitur, & vel mox vel paullò post adparet, ac eodem, quo serosus mador, modo, in venis, renibus, & emulgentibus coquitur & secernitur, sicque juxta

F cum

cum illo *αιμαλωτος* statum ac calor  
nativi robur refert: hoc autem, quia  
majori minori que familiaritate, ac  
firmitudine, & imbecillitate saltim  
virtutis distinguitur, & alias magis ac  
minus speciem non variant, verum  
concludo.

Cæterum Contentorum differen-  
tiæ, quæ, non aliter ac urinæ, ex  
substantiâ & accidentibus depro-  
muntur, hypostasi inculpatâ propo-  
sita, quæ alba censetur, lævis seu pla-  
na & æqualis, mediocris quantita-  
tis, figuræ pyramidalis, & circa fun-  
dum residet, ac citò potius, quam  
tardè adparet, facile cognoscentur,  
& vel bonæ, vel præternaturales ju-  
dicabuntur. A bonitate autem pri-  
mò deflectit Hypostasis, quum vel  
nulla videtur, vel in majori quanti-  
tate, & vel crassior vel tenuior, vel  
quia crocea, viridis, livida aut nigra,  
vel quia fætida, aut divûlfa & inæ-  
qualis, aut hodiè conspecta, cràs  
disparens: Deinde, quum nec quo  
debet

debet tempore, quod horæ spacium à præcticis determinatur, separatur, & separata vel in medio vel in summa facie pendet. Proindè si in Ægrorum lotio sedimina vel planè nulla, vel hodiè adparentia, cras evanescentia dantur, ingens significatur cruditas, vel ob calorem resolutum & inbecillem, vel oppresum & suffocatum, idque aut à copiâ, aut putredine, atque humorum malignitate. Illius Gal. com. in sect. 4. aph. 70. hujus Hippocr. 2. prognost. 26. meminere, & virtute existente validâ, morbi diuturnitatem, eâdem autem oppressâ mortem significare scribserunt. Nubes verò, ut & suspensum in morbis tria portendit: & vel ejus coctionem ac Crisis celeritatem, vel longum decubitus, vel delirium. Utriusque & nebulæ & sublimamenti bonitatem Hippocrates 2. prognost. 36. ex eo, quod plus minusve deorsum vergant & subsidere videantur, ac contra, proponens



ostendit, quum hæc materia in febribus, nullâ aliâ de causâ, quàm quod à colore naturali & innato adtenuetur, descendat. Alterum conlegitur ex Clazomenij historiâ, quam Hippocr. lib. 1. Epid. sect. 2. recenset, cui tenues Urinæ cum sublimamento in medio propendente, & nonnihil disperso longam ægritudinem significabant. Hoc autem suspensum ut & nubes à flatu crudiorum aliquam agitante materiam, & ad superiora pellente gignitur. Postremum monstrat cum Hippocr. Galenus comm. 3. in 3. Epid. t. 83. & com. 1. lib. ejusd. t. 5. ubi ægrorum urinæ, quæ in urinali depositæ non subsidebant, mentis vacillationem induxerunt. Hæc verò nebula, ut & sublime, à calore putrido, materiæ sursum ascendenti & regionem cerebri occupanti permixto nascuntur.

Quod Contentorum adtinet colorem, quæ à mediocritate decedunt, alia sunt vehementer alba, alia sub-

sub-

subpallida, alia pallida, alia flava, subrubea, cruenta, veneta, livida & nigra. Vehementer alba, aut pituitosi humoris ramenta sunt, aut pus summè coctum, quod ab aliquâ parte internâ laborante secretum est. Subpallida & pallida minus bona censentur, veluti ea, quæ à colore, qui secundum naturam est, declinant. Flava similiter mala sunt, utpote quæ exauctam esse flavam bilem in secundâ concoctione ostendant. Subrubea & rubea cruditatem quamdam & coctionis defectum, adeoque morbi diurnitatem arguunt. Cruenta inelaboratum planè sanguinem, cum primis si copiosa fuerint, demonstrant. Veneta verò, livida & nigra omnium censentur pessima, & vel virtutis vitalis mortificationem, vel humoris melancholici, qui vel aliundè in venas confluit, vel in ipsis genitus est, dominium denotant.

Observandum præterea album


F 3

colo-

colorem, quem nos optimum statui-  
 mus, contentis nonnumquam impri-  
 mi, non ab naturali calore, sed flatu  
 cum materiâ crudiufculâ permixto,  
 & funestum esse signum. Quorsum  
 respexit Avicenna, primi Can. fen.  
 2. doct. 3. c. 6. quum plærumq; mor-  
 ri, qui hypostasim in urinâ albam &  
 inæqualem habent, contra verò ex  
 morbi diuturnitate & evadere & vi-  
 vere, quorum sedimina æqualia al-  
 terius spectantur coloris, scribit; id-  
 que stabilitur aphor. Hipp. 71, sect.  
 4. quibuscumq; Crisis incidit septi-  
 mo die, his nubeculam obtinet uri-  
 na quarto die subrubram. Proindè  
 Color juxta cum æqualitate, quâ so-  
 lâ lethalis à salutari secernitur, in  
 Hypostasi trutinandus erit, quum  
 inæqualis & divulsa cruditatem, ac  
 humorum à flatu vel vaporibus ex-  
 ortam agitationem ac confusionem,  
 & consequenter caloris infirmitudi-  
 nem: æqualis verò & plana, cum co-  
 lore albo securitatem, ac morbi bre-  
 vita-

vitatem adnūctient. Atque ita præcipua de urinis capita absolvimus. Uberiorem notitiam Actuarius, inter recentiores Græcos optimæ notæ Medicus, curiosis ac laboriosis, quum immensi adinstar pelagi de Urinis sit historia, & usum ac exercitationem, si quæ alia, maxumè requirat, suppeditabit.

## FINIS.



## AMICE LECTOR,

**Q**uisquis eris, cujatis eris, levioribus & ab operis admisissis lubens ignosces σφάλμασιν. Ita namque usu venit, ut memoria insitum, eâ potius, quàm oculis, quod jam publico datum, legens, circa literarum quarundam non dissimilium apicem minus curiosus existierim. Unde in aliquammultis exemplaribus pro frigido, frigidido: pro var. lect. var. sect. pro indicium judicium, & id genus haur dubio pluscula enata fuerunt, quæ juxtim eum aliis ad providentia solem minus coctis aut decoctis adparentibus, pro sapientiâ, quæ in te magna est, facile & ex voto meo tuoque restitues.

Bene vale.

f. 6. v. 78. f. 5.  
787.














Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 091

OPIA. 57  
ocetur. Censent  
i Aphoris 69 sect.  
bi principio cras-  
timò multæ & te-  
manifestum Crisis  
amferre signum.  
Philotheo, Hip-  
orismo, quæ sibi  
evoluisse conclu-  
n coctionis mo-  
principio tenues,  
siores reddantur  
autem ab princi-  
lotium cum vir-  
ti morbi longitu-  
em: ita illâ lan-  
â mortem ipsam

VII.  
N-NATURA-  
TITATE DE-  
FERENTIAE,  
FICATA,  
5 Ante-